

Q. K. 264, M.

Parkbusch

Z d  
1841

X 205 4886

RECTOR  
ACADEMIAE  
LIPSIENSIS.

*Vita Parkbuschi*  
ich

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



RECTOR  
ACADEMIAE  
LIPSIAE





**S** omnibus coronis, quarum plures habuit antiquitas, eam qua Christianorum propria est & fidelium, accepit Vir honoratus & doctissimus STEPHANUS Packbusch / Notarius Publicus, & Curie Suprema Procurator. Quia Parentibus Christianis & honestis in lucem editus Anno Christi 1601. die 17. Februarii: Patre viro itidem non illiterato Stephano, Notario Publico, Advocatoq; & civive Halensi. Cujus Majores, qui partim studiis, partim mercature operam dederunt, Stendalii in Marchia annos quasi centum abhinc degerunt. Avus vero Lipsia ante annos itidem centum habitavit, insignis celator gemmarum. Mater fuit ANNA Reverendi & Clarissimi viri M. CHRISTIANI KITTELMANNI, Pastoris in foro novo ante Halam Saxonum meritisissimi. Cujus Zelus pro salvifica veritate tum Hale, tum alibi terrarum cognitissimus. His curantibus non solum fonte Baptismi salutari, initiatus: sed & pietati & literis adsuevit:   
Prout

Prout eò progressus est, ut Halæ decem in superiores classes adscenderit, & à viro præstantissimo, M. SIGISMUNDO EVENIO, tum ibi Rectore, diligentia sua locuples testimonium reportavit, procul dubio plura præstiturus, quæ ingenium ejus capax promittebat, si studiis institisset. Quo minus autem id faceret, in causa fuit favor ille amplissimus, quo eum L. WOLFGANGUS Bahr / Consul, Scabinus, & Syndicus Halensis prosequeretur. Nam cum fratrem Defuncti nostri in ære antea haberet, ejus ut post obitum, locum capesseret eà lege desideravit, ut Defunctus noster non solum scribæ officio, sed & studiis pariter vacaret. Quo officio per triennium functus, ita satisfacit Domino Consuli, ut magnam præterea laudem mereretur. Post modum notore non uno ad virum Consultissimum & Amplissimum Dn. HENRICUM VOLCMARUM, Juris, Adsessorem Scabinatus & Consistorii Lipsiam deductus, ita se gessit, ut cum benè diu illi ad manus fuisset, fide, agilitate, & humilitate meritis fuerit ab eo Anno 1624. Curia Suprema provinciali commendari, qui Notarii munus obiret. Cujus beneficii, post alia omnia quæ habuit

buit à viro amplissimo illo, ita semper fuit me-  
mor, ut neminis se hominis beneficio reum ma-  
gis, quàm hujus profiteretur. In istà functione,  
quod cuilibet, in primis vero superioribus con-  
stat, res suas eà diligentia curavit, quà potest  
quis alius maxime. Anno 16 30. 30. Augusti cū  
virginetum CATHARINA honestiss: DANIELIS  
VOLCMARI civis & tinctoris Lipsiensis filiã  
contraxit matrimonium, idq; Ecclesiã teste fir-  
mavit, atq; adeo per annos decem, & trimestre  
spacium cum eà ex animi sententiã vixit, ut di-  
vinã benedictione liberos quinq; masculos puta  
quatuor, & fœmellam, susceperit. Ex quibus filia  
& natus minor filius obierunt, superstites reli-  
quis, qui Patri ad cœmiterium comitabuntur.  
Cum verò anno 16 40. die 26. Novembris tristi  
vidu vii vulnere percussus solitudinem ferre œ-  
conomiam suam non posse rectè observaret, de  
restaurando conjugio agere cum virgine lauda-  
tissimã MARGARETHA, viri cõsultissimi Pau-  
li Fritschhausens / J. U. D. & Advocati filiã  
cœpit, vidua nunc mœstissimã. Cum quã 5. Ju-  
lii Anno 16 41. nuptias celebravit, & per qua-  
driennium, minus decem septimanis vitam

MA-

maritalem transegit jucundissime. Genuit etiam  
filium & filiam, viuos etiamnum, quorum o-  
mnium educationi, ut & prioris conjugii libe-  
ris Deus ex alto benedicat.

In statu Christianismi ita vixit, ut diligen-  
tissime ad conciones sacras uiseret, sepius etiam  
per annum ad communem sanctorum mensam  
accederet, & supremum denique paucos ante dies  
ad confirmationem fidei eam frueretur. Suos ad  
pietatem impulit sedulo, in primis disciplinam li-  
beros accuratam edocuit, & nihil habuit anti-  
quius, quam ut in pietate & artibus liberali-  
bus se uiuo solide fundarentur, sepius dicens, hoc  
certissimum esse patrimonium, quo post se sui  
potirentur. Et quamuis humanum nec ab eo  
alienum fuerit, neque peccatorum insons uixerit:  
Ita tamen commissorum tadio uera fide in san-  
guinem & mortem Redemptoris sui Jesu Christi,  
meritum ejus amplexus est, ut sola hac gratia  
uideretur & consideret.

Morbum ejus quod attinet, laboravit per  
aliquot annos adfectu hypochondriaco, cui  
accesserunt sepe numero febres ardentes, unde  
quidem semel atque iterum conualuit: Quoniam  
tamen

tamen compertum fuit, viscera interiora corrupta esse, non diuturna vit: Verum malum magis magisque incrementa sumsit, & Symptomata subinde varia, præcipue præterito Decembri tussis gravis cum asthmate supervenit, ita ut ante septimanas plus minus quindecim lecto adfixus sit. Et licet identidem melior valetudinis spes adfulserit, tamen postremò succumbere natura morbo prævalenti coacta est, usque adeo, ut quamvis consilium experientissimorum Medicorum non defuerit, quos & hic habuit, & aliunde accersivit, frustra tamen illi fuerint, & nihil profecerint. Præcipue dies abhinc quatuordecim, morbus ardentis febris aggravabat, quæ ita vires ejus fregit, ut rationem facile secum subducere potuerit, actum de se esse. Paulò ante obitum, confessus est fide in Christum se moriturum, cumque dictum S. Pauli, quod argumenti loco in exsequiis explicandi præscripsit, ei in mentem revocaretur, quo Apostolus indubitatè verum pronunciat, Christum venisse, qui peccatores salvaret, clarè pronunciauit: Omnino ita esse, quod Christus omnes peccatores, atque adeo & se salvatum venisset. Cumque moneretur ut Stepha-

pha-

Zd 1841 OK

phani Protomartyris verba suprema altius a-  
nimo infigeret: Domine J E S U, suscipe spiritum  
meum: Quibus, ut ille, cursum vitæ suæ finiret:  
Ita se facturum adfirmate respondit, & cum A-  
postolo indesinenter suspiravit, se cupere solvi &  
esse cum Christo. Cujus voti compos, sui conscius,  
& potens mentis, mox placidè & vultu mini-  
mè insolenti gestuque, tanquam flammula ex-  
stinctus, beatissima αἰαλόσθ ex hac vitâ migra-  
vit, annos natus quadraginta quatuor, duos  
menses, & dies quinque.

Hæc est vitæ Defuncti brevis historia, cujus  
memoratione extremos ei honores dependimus,  
ut sacra mortuorum memoria plures bonos esse,  
& ita de Academiâ mereri jubeat, uti de pradi-  
cari post obitum quisq; cupit. Nunc restat,  
ut ditioni nostræ subjecti hodie hora prima ma-  
turè nos conveniant, ituri nobiscum Viro huic  
optimo exsequias. Quod ut faciant & publico  
programmate excitare eos volumus, nec dubi-  
tamus officium cuiq; suum id imperare. P P. 25.  
Martii Anno 1645.

Typis TIM: RITZSCH,





Q.K. 264, 1

A C H

busch

86

R

AE

Z d  
1841

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

